



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IV. Perfectio virtutis inde pendet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

de se scribebat sub vitæ finem, *Pauca volo,
& quod volo, parum volo.*

IV. *Perfectio
virtutis in-
de pendet.* Joannis cap. 24. dicebat Chri-
stus Petro: *Cum esses junior, cin-
gebas te, & ambulabas ubi vole-
bas: cum autem senueris, alius cinget te.*
Minus in virtute proveci, quò volunt,
ad bona opera ambulant: at proveciores
& perfectiores ea faciunt & patiuntur,
quæ Deus vult. P. Jacobus Laines, vir
magnus è Societate nostra, aliquando
cum D. Ignatio, cui in cura Societatis
totius successit, familiariter colloquens,
falsus est ingenuè, magna sibi esse deside-
ria profectionis in Indias, ad conver-
sionem Infidelium, & propagandum
Christi nomen. Cui Ignatius: at ego,
inquit, si istiusmodi propensiones senti-
rem, non antè desisterem, quàm penitus
extirpatæ essent, & voluntas mea pende-
ret bilancis instar in æquilibrio. Archi-
tectus peritus in area laxa facillimè desi-
gnârit insigne domicilium: at ubi intra
angustias arctatur, neque aream capacem
nactus est, spatium non habet explican-
da

æ arti & magnificentiæ. Statuarius sculptor, si rectum & innode lignum habet, quamlibet illi figuram facile daturus est; secus si nodosum & curvum. Ita si pectus humanum privatis cupiditatibus non arctetur, si nodosis desideriis non obdurescat, gratiæque architectanti & sculptenti non resistat, existet insigne domicilium virtutum, & perfecta divinæ sanctimoniam imago.

V. *Necessitas
ejus status.* Peremptoria ratio, cur eò indifferentiam venire debeamus, est necessitas eligendæ ad salutem viæ & adminiculorum. Ignorantes autem sumus rerum ipsi nostrarum, nec satis dispicimus, quid in præsens futurumve, nobis expediat. Itaque si desideria nostra sequamur, cæcum sequemur: *cæcus autem, si ceco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Hinc illud celebre Matth. cap. 20. dictum à Christo filiis Zebedæi, plerumque filiis hominum multa concupiscentibus, vana molientibus, aptari potest: *Nescitis, quid petatis.* B. Franciscus Borgia, ægrotante Leonorâ lectissimâ